



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

Dissertatio Tertia De versalibus in specie.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

quiritur, ut omnia individua cōfusè cognoscantur, repræsenteturquè prædicatum aliquod, quod cum iis sit realiter idem. Quibus non obstantibus, universale adhuc bene dicitur, unum aptum prædicari de multis, etsi pro ut substat huic actuali iudicio, non maneat aptum prædicari de multis, sicut totum dicitur aptum dividi in partes, lignum comburi, etsi in actuali divisione non maneat totum &c. præterea universale manet unum aptum prædicari de multis, prout substat præviæ vel concomitanti apprehensioni, vel etiam alteri iudicio confuso. Sic itaque nunquam superius vel genus, manens superius vel genus, prædicatur de individuo.

## DISSERTATIO TERTIA

### *De universalibus in specie.*

I. **U**Niversalia sunt quinque, quia quinque sunt modi logicè & formaliter essendi in multis: vel enim est aliquid in multis essentialiter, vel accidentaliter; si essentialiter, vel est ut tota essetia, & est Species, vel ut pars essentiaë materialis, & est Genus; vel ut pars formalis, & est Differentia; si accidentaliter, vel inest ut accidens necessarium habens naturalem

turalem cum essentia connexionem, & est  
 Proprium; vel merè contingenter, & est Ac-  
 cidens. Unde prædicatur aliquid, vel in quid  
 completè; vel incompletè; vel in quale quid;  
 vel in quale necessarium, vel in quale contin-  
 genter: sicquè tota diversitas prædicabilita-  
 tis sumitur à modo inessendi, non materiali-  
 ter, entitativè & physicè, qui modus toties  
 diversus est, quot sunt prædicamenta & for-  
 mæ, quæ insunt; sed logicè & formaliter per  
 identitatem vel connexionem prædicati cum  
 subjecto. Quare nec differentia specificæ &  
 genericæ (idem est de proprio & accidente,  
 generico & specifico, genere summo & infi-  
 mo) cōstituunt diversa universalialia; etsi enim  
 unum prædicetur de specie, alterum de solo  
 numero differentibus, prædicantur tamen  
 ambo incompletè ut pars determinativa.  
 Neq; accidens subjecto intrinsecum, & acci-  
 dens subjecto extrinsecum faciunt duo uni-  
 versalia. Nec etiam individuum vagum con-  
 stituit sextum universale cum non prædice-  
 tur de multis univocè ut quid præcisum à  
 singularibus, vel si detur, esse universale, perti-  
 net ad illud, ad quod ablato signo pertinet,  
 V. G. *aliquis homo ad speciem.*

II. Universale respectu quinque universali-  
 um est genus. Quod declaratur: primò con-  
 cretum ex inferioribus seu naturâ & generei-  
 tate, specieitate &c. dicitur genus, species &c.  
 essentialiter & formaliter talis; hujus verò  
 concreti pars materialis sive objectū actus,  
 universalificantis dicitur universale, genus,  
 species, differentia accidentaliter; quia per ac-  
 cidens est & extrinsecum naturæ. V. G. ani-  
 malis, à tali cognitione, confusa denominari  
 genus. Secundò, sicut à singularibus primò  
 intentionaliter sumptis potest abstrahi ratio  
 cōmunis primò intentionalis. V. G. à brutis  
 & hominibus *animal*, à lapidibus, *lapis*, per  
 quam abstractionem *animal*, *lapis* fiunt gene-  
 ra, in ratione generis præcisè solo numero in-  
 ter se distincta, sic ab his rationibus cōmuni-  
 bus animalis, lapidis &c. ut generibus forma-  
 liter & essentialiter, adeoq; jam secundò in-  
 tentionaliter sumptis potest iterum abstrahi  
 ratio communis secundò intentionalis, in qua  
 hæc genera essentialiter sumpta conveniant,  
 nempe genus, & tum hæc genera vi secundæ  
 abstractionis fiunt & dicuntur accidentaliter  
 & denominativè species, habent se quippe  
 ista genera tota, seu ista genera formaliter &

essentialiter supra respectu hujus secundæ abstractionis & speciei ut significatum illius materiale tantum, & quibus accidentale est, per hanc secundam abstractionem confuse cognosci, & sic unâ cum hac cognitione specificante fieri speciem essentialiter: idem est, quando à pluribus speciebus abstrahitur ratio communis speciei, à pluribus differentiis ratio differentie &c. Tertio potest denuo ab hac communi ratione generis, speciei, differentie, proprii, accidentis abstrahi ratio communis, in qua hæc quinque species essentialiter sumptæ conveniunt, nimirum *universale* vel *predicabile*, quod se respectu harum quinque specierum habet per modum generis, & respectu cujus hæc quinque erunt denominative & accidentaliter species; adeoque advertendum est, *universale* secundum suum conceptum intrinsecum essentialem imbibitum in singulis quinque predicabilium (qui est esse unum aptum inesse multis, & predicari de multis, ) esse quid latius patens genere, & sic non poni sub genere; spectatum verò *universale* ut præterea dicit cognitionem, per quam abstrahitur à quinque predicabilibus tanquam terminis secundæ intentionis, & per quam constitui-

stituitur inesse generis, seu denominatur genus accidentaliter, esse quid inferius suâ prima specie, quæ dicitur *genus*, & tanquam particulare genus poni sub genere ut sic. Est itaque universale genus accidentaliter seu denominativè respectu harum quinque specierum, in quantum hæ sunt essentialiter genus, species, differentia &c. definiturq; genus (idem est de specie differentia &c.) per aliquid, cui accidentaliter convenit ratio generis, nempe per τὸ *universale*, cui per accidens est, quòd per cognitionè confusam abstrahatur à dictis quinque prædicabilibus, sicut homo definitur per *animal*, quod secundùm se sumptum non est genus, sed cui accidentaliter cõtingit ratio generis; quatenus ab hominibus & brutis abstrahitur; nulla enim res definitur per genus, ut genus est, sed per naturã, cui accidentaliter cõtingit ratio generis, sicq; genus essentialiter genus respectu illius prædicati superioris, cui accidẽtalis est denominatio generis, fit denominativè species; sicut enim accidẽtale est rationi universalis, quòd abstrahatur à quinque prædicabilibus, & per hanc abstractionè denominetur genus, sic quoquẽ accidentale est generi essentialiter sumpto, quòd per eandem

abstractionem fiat & denominetur species  
subjicibilis, sive quòd unà cum specie essen-  
tialiter tali & differentia essentialiter tali & co-  
fit objectum istius cognitionis abstrahentis;  
 ex eo namq; quod genus essentialiter sit uni-  
 versale per cognitionem directam constituti-  
 vam generis, non sequitur, esse etiam univer-  
 sale essentialiter per cognitionem reflexam,  
 per quam ab eo & specie essentialiter tali ali-  
 isquè abstrahitur ratio universalis, sive per  
quam fit species subjicibilis; neque enim ge-  
 nus essentialiter est species universalis, sive  
 essentialiter substat huic cognitioni reflexæ,  
 sed tantùm essentialiter fundamentaliter, in  
 quantum aptum isti cognitioni reflexæ sub-  
 stare. Datur igitur hac ratione aliquid, quod  
 diverso modo spectatum est quid superius &  
 inferius genere, nimirum universale specta-  
 tũ secundùm sua prædicata essentialia, est su-  
 perius genere, spectatum secundùm denomi-  
 nationem accidentalem generis, est inferius  
 genere, tanquam hoc singulare genus. Sicuti  
 autem universali accidentale est, tali modo  
 fieri genus, sic eidem accidentale est, hoc  
 modo subjici, & fieri inferius genere. Neque  
 tamen ex eo, quòd universale sit essentiali-  
 ter

ter superius genere, siue conveniat pluribus, quàm rō *genus*, sequitur, esse essentialiter genus generis, sed tantum fundamentaliter, cum secundum suum conceptum non sit unum aptum prædicari de multis specie differentibus, sed tantum unum aptum prædicari de multis. Neque ex eo, quod hoc modo datur genus generis, adeoque *genus*, quod sit supra decem summa genera, sequitur, illa male appellari summa; talia enim dicuntur, quatenus ab iis primo intentionaliter sumptis non potest abstrahi prædicatum communius primo intentionale.

III. *GENUS* est unum aptum prædicari de pluribus specie differentibus in quid incompletè, ubi rō *incompletè* non necessitatis, sed majoris explicationis gratiã additur, eo ipso enim, quod prædicetur de pluribus specie differentibus, prædicatur ut pars, cum tota essentia unius speciei nequeat esse communis alteri speciei. Ut autem quid prædicetur in quid, requiritur, ut totã exprimat essentiam, vel ejus partem nomine substantivo, siue habeat se per modum stantis, & non adjacentis, ut differentia, quæ etsi sit pars essentialis, exprimatque partem essentia, exprimit tamen

C 5

illam

illam nomine adjectivo, concipiturque per modum adjacentis seu advenientis generi, illudque determinare ad certam speciem. Neq; committitur hic vitiosus circulus, dum genus per speciem, hæc postmodum per genus explicatur; præterquam enim, quòd id habeant correlativa, ut unum per alterum explicetur, supponit hoc loco species pro absoluto; nempe pro natura perfecta & completa, & talis fit sensus: genus prædicatur de pluribus differentibus inter se naturis perfectis & completis seu integris, sive etiam notabiliter inter se differentibus; sicque species est quid notius genere. Gratis autem dicitur, quòd genus, utpote unum per accidens, & conflatum ex singularibus & cognitione, non queat definiri; unum enim per accidens ad summum nequit definiri, definitione explicante naturam cujusvis partis distinctè, non verò explicante naturam totius & partium, quatenus ad illud totum conducunt.

IV. INDIVIDUI, hìc fit mentio in ordine ad universalìa. Est itaq; individuum physicum idem, quod intrinsecè unum numero, seu indivisum in se, & divisum à quolibet alio.

alio. Individuum logicum, seu secundò intentionaliter sumptum, pro concreto ex natura singulari & cognitione differentiam illius individualement aliquo saltem modo explicitè attingente, dupliciter definitur: prout respicit speciem: cui immediatè subjicitur, dicitur esse id, quod immediatè subjicitur speciei: prout respicit id, de quo prædicatur, est id, quod de uno solo aptum est prædicari. Constituitur autem natura singularis in ratione individui logici per cognitionem directam, comparata dein per cognitionem reflexam, ad se ipsam, cognoscitur esse prædicabilis, & constituitur proximè apta prædicari, & quidem prædicatione non identica, sed formali; dum enim dicitur: *hoc animal est Petrus*: adhuc diversus est significandi modus prædicatum inter & subjectum. Unde Arist. dicens: individua de nullo subjecto dici vel prædicari posse; vult, prædicari non posse prædicatione universalis, seu tanquam superiora de aliis inferioribus.

V. Potest ab omnibus individuis abstracti ratio communis individui; cùm enim

omnia individua in hoc sint similia , quòd possint prædicari de uno solo , & quòd sint indivisa in se &c. licet differant in ratione talis indivisi in se , poterit non minùs ab iis hæc ratio abstrahi , & in ordine ad illam ratione omnia individua cognosci confusè per modum unius , quàm ab animalibus ratio animalis : sicquè accepta singularia in communi definiti possunt definitione explicante rationem hæc ceitatis in communi , etsi res singularis accepta particulariter & determinatè definiti nequeat, definitione explicante rationem hujus in particulari hæc ceitatis ; sicquè ratio individui, prout subsistat huic confusæ cognitioni, erit universale, non minùs, quàm ratio animalis: quamvis quando sic per *Tò individuum* significo rationem communem abstractam, utar hoc nomine contra ejus primam institutionem , vi cuius significat objectum aliquod intrinsecè unum cum aliqua differentia ultima clarè cognitum. Nihilominùs adhuc bene definitur, esse id, quod de uno solo prædicatur, cum sic definiatur individuum confusè cognitum, non quidem in actu signato, ita ut confusa cognitio teneat se ex parte defini-

definiti, sed ut confusè cognitum in actu exercito, vi ipsius actus definientis, quod vi actus, quo constituitur prædicabile de uno solo, cognitum est clarè. Nec dicas: à differentiis non ultimis non potest abstrahi ratio, in qua conveniant, ergo nec ab ultimis: nam etsi ab iis non possit abstrahi ratio communis, quæ significet earum convenientiam in natura, potest tamen abstrahi ratio significans earum convenientiam in officio. v. g. quod constituent speciem, dividant genus: sic licet à differentiis clarè cognitis non possit abstrahi ratio communis, potest tamen hæc ab iis confusè cognitis abstrahi; idem dic de differentiis ultimis; differunt enim individua inter se per differentias individuales clarè cognitæ, conveniunt per easdem confusè cognitæ: & dicit hoc individuum: v. g. Petrus clarè & solitariè cognitum esse indistinctum à Petro, & distinctum à non Petro; cognitum cum aliis tantum dicit esse indistinctum à se, vel indivisum in se & divisum à quolibet alio. Pertinet autem hæc ratio communis individui ad quartum prædicabile, si sumatur physicè pro indiviso in se, unitas quippe est proprietas entis. Pertinet

ad quintum, si sumatur logicè, hæc enim prædicatio; *Petrus est individuum*: non minus est quinti, prædicabilis, quàm hæc: *homo est species*.

VI. SPECIES spectata absolutè est quid extrinsecè unum inexistentis multis per modum naturæ completæ, vel est natura essentialiter completa, intentionaliter indivisa, physicè divisa in plura individua non notabiliter differentia; quæ definitio convenit etiam speciei subalternæ v. g. *animali*, ut concipitur conceptu naturæ completæ, sive ut quid constans genere & differentia, mirum vivente & sensitivo. Spectata ut prædicabilis, est unum aptum tantum prædicari de pluribus solo numero differentibus in quid completè. Qualis tamen non est prædicatio; *Petrus est animal rationale*; non prædicatur enim in quid completè incomplexè, sed hæc potius est in quid & quale. Dum autem rationale prædicatur de hoc, illo & isto rationali, prædicatur completè ut species, ad quod sufficit, ut species exprimat totam essentiam logicam seu prædicabilem de multis, etsi non exprimendo differentiam individualem, non exprimat

mat totam essentiam physicam. Spectata ut subjicitur generi, est natura intrinsecè multiplex, extrinsecè una, quæ subjicitur generi, & de qua genus in quid prædicatur: quæ talis non est universale, quia in tantum non est respiciens multa inferiora, de quibus prædicetur. Neque inferius ut inferius participat rationem superioris sui; nam ut inferius supponit rationem sui superioris participatam, ideoquè est inferius; adeoque non ideo participat rationem sui superioris, quia est inferius, sed ideo est inferius, quia hanc participat: sic itaque sufficit, ut species, quæ est inferior genere, sive quæ est subjicibilis participet rationem superioris, nimirum universalis. Dividitur species in prædicabilem tantum, quæ nulli subjicitur generi, sed tantum de individuis prædicatur, talis sunt, differentia & propria: v.g. *rationale*, *risibile* respectu hujus & istius risibilis & rationalis. In prædicabilem & subjicibilem simul, quæ tam respectu superiorum, quàm inferiorum est species, ut *homo* aliæquè species infimæ seu atomæ; & in subjicibilem tantum quæ respectu superiorum est species, respectu inferiorum genus, ut *animal*.

VII. DIFFERENTIA est unum aptū inesse multis, & prædicari de multis numero vel specie differentibus, per modum partis essentialis formalis (ut conveniat tam differentia infimæ v. g. rationali, quàm subalternæ v. g. sensitivo) in quale quid, seu in quale essentialiter, intellige, incomplexè: dicitur autem in quale quid prædicari, non quòd prædicetur essentialiter & simul accidentaliter, sed quòd prædicetur in quid essentialiter quoad modum accidentaliter, nimirum adjectivè. Porro differentia nec respectu generis, quod dividit, nec respectu speciei, quæ constituit, est formaliter universalis; quia conceptus universalis est formaliter conceptus superioris; unde in hac propositione; *homo est rationalis*: differentia prædicatur de specie, nec ut singularis, nec ut formaliter universalis, sed tantum ut materialiter vel virtualiter universalis, in quantum ex eo, quòd de homine prædicetur, possit quoque de individuis hominum prædicari. Differentia tamen generica respectu specierum, quæ sub genere vel specie subalternâ à se constituta collocantur, est verè universalis v. g. *sensitivum* respectu hominis & bruti.

VIII.

VIII. Differentia inferior superiorem aut genus nō includit formaliter, nequidem implicite v. g. *rationale sensitivum* vel *animal*; aliàs *rationale*. v. g. differentia hominis non erit purum principium disconveniendi hominis, conveniret siquidem *rationale* cum bruto *ratione sensitivi & animalis* in *rationali* formaliter inclusi: propter quod tamen non omnes differentie erunt supremæ, nisi fortè negativè, quatenus non habent sibi directè superiores, quas includant, sicut *animal* includit *vivens*, quod ideo animali positivè est superius: vocantur autem differentie aliæ aliis superiores, quòd pluribus subjectis, speciebus nimirum & individuis conveniant, quàm inferiores. Membra itaque dividenda, per quæ fit divisio v. g. *rationale & irrationale*, per quæ dividitur *animal* non includunt formaliter divisum, sed tantum membra dividenda, in quæ fit divisio v. g. *homo & brutum* includunt formaliter divisum, v. g. *animal*. Rugibile item acceptum formaliter, non est principium rugitionis adæquatè acceptæ (qualiter accepta est totum, metaphysicum, dicitquè genus & differentiam formaliter, nempe actionem vitalem,

lem, sensitivam, rugitivam) sed est tantum principium rugitionis inadæquatè acceptæ, & formaliter secundum ejus differentiam ultimam, quæ est rugitiva; de cætero rugitionis adæquatè spectatæ, nimirum ut est actio vitalis, sensitiva & rugitiva, principium est vivens, sensitivum, rugitivum vel rugibile; adeoque rugibile non dicit sensitivum. Neque valet hæc argumentatio: *Homo formaliter est animal, homo formaliter est rationale: ergo rationale formaliter est animal: cum rationale sumatur in consequente formaliter, qualiter nunquam fuit in antecedente sumptum.*

IX. **PROPRIVM** primo intentionaliter sumptum est id, quod est extra rei essentiam physicam vel metaphysicam, ab illa necessariò tamen per physicam actionem, si physicum, secundum nostrum concipiendi modum, si metaphysicum, oritur: ab eaque distinguitur eodem modo, & illam comitatur, inseparabiliter, intellige, naturaliter, si physicum, etiam divinitus realiter inseparabile, si metaphysicum; ratione tamen separabile, in quantum ab ea per rationem præ-

præscindi potest, non positivè illud negando de essentia. Secundò intentionaliter sumptum, sive prout est quartum prædicabile, est unum aptum inesse & prædicari de multis in quale necessariò: hanc autem denominationem universalis accipit per ordinem ad subjecta mediata, nimirum vel ad individua speciei, si sit proprium specificum, vel ad species, si sit proprium genericum; de his enim solis prædicatur ut superius: de subjectis verò suis immediatis, genere vel specie prædicatur ut convertibile, & æquè latè patens.

X. ACCIDENS sumptum primò intentionaliter, prout comprehendit accidens logicum ( quale est illud, quod est extra rei essentiam, & de illa merè contingenter dicitur, sive sit substantia, sive accidens, sive sit positivum, sive sit negativum ) & physicum, id est, oppositum substantiæ, & prout distinguitur à proprio quarto modo, benè definitur: *quod adest atque abest* (physicè vel metaphysicè, sive intentionaliter affirmando, vel negando illud de subjecto) *sine subjecti corruptione &c.* physica, vel metaphysica; quædam enim  
aeci-

accidentia adesse non possunt sine corruptione physica subjecti, v. g. pestis in animali, possunt tamen adesse metaphysicè sine subjecti corruptione metaphysica, id est, manet essentia metaphysica incorrupta, etsi accidentia illa de subjecto affirmantur, vel etiam Physicè violenter eis insint: mors autem respectu animalis, combustio respectu ligni, in summa, corruptio respectu subjecti dici possunt, non esse propriè accidentia, cum non respiciant illud tanquam forma subjectum, sed veluti habitum, quo privant; si tamen admittantur esse accidentia, dici debet, quòd non destruunt subjecta, de quibus affirmantur, nisi in sensu ampliativo; hæ enim similesve propositiones: *animal est mortuum*: veræ non sunt, nisi in sensu ampliativo, id est, animal, quod ante fuit, nunc non est animal; quòd autem animal ante existens, non existat amplius, essentiæ ejus convenit accidentaliter, sicquæ non repugnat alicui essentiæ vel subjecto prædicationis, nunc non esse, quod ante fuit, ac proinde prædicata illa, quæ tantum ampliativè insunt subjecto prædicationis, non repugnant ejus essentiæ, nec destruunt subjectum prædicata-

dicationis. Accidens physicum est ens secundariò à natura intentum existens, vel potiùs exigens esse in alio ( actualis enim inhærentia non est de essentia accidentium absolutorum ) tanquam in subjecto inhæsionis, pro ut hoc nomine comprehenditur simul subjectum adhæsionis. Accidens sumptum secundò intentionaliter, sive ut quintum prædicabile, est unum aptum inesse multis & prædicari de illis in quale contingenter. Definitur hæc accidens in concreto, sic enim tantùm subjecto identificatur: in abstracto namquè prædicatum de suis inferioribus, v.g. albedo de hac, illa & ista albedine, color de albedine, nigredine &c. est primi vel secundi prædicabilis.

## DISSERTATIO QUARTA

### *De Enuntiatione.*

I. **S**IGNVM in genere est quid aptum potentia cognoscitivæ repræsentare aliquid, sive illud aliquid distinctum sit ab ipso signo, sive non ( dantur enim signa sui ipsius repræsentativa, ut cognitio; quòd ipsum fit, dum dico: *cognitio*, repræsentat enim inter  
reli-